



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. X. De Irregularitate ex defectu bonæ sænæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT IX.

De Irregularitate ex defectu libertatis.

§. I. De Servitute.

1. **S**ervus, hoc est Mancipium, sive ex nativitate, sive ex legitima venditione, sive ex legitima captivitate, quamdiu servitus durat, irregularis est ex Sacro Textu, *Toto Titulo de Serv. non ordinandis, & tota dist. 54.* sic merito definiente; id enim dignitas Ordinum requirit obsequium à clerico Ecclesie debitum? Servi enim cum addicti sint Domino, atque adeo sint alterius juris, servire Ecclesie non possunt. Consentiente autem Domino, poterit quidem ordinari servus, sed statim, atque ordinatur, etiam prima tonsura, fit liber. Ita Laym. l. 1. rr. 5. p. 5. c. 8. Suar. de cens. d. 51. sect. 3. n. 5. Caltr. de cens. d. 6. p. 11. n. 2. Azor. p. 2. l. 2. c. 11. A. l. de cens. p. 7. dist. 3. d. ult. Frl. tr. 19. c. 2. n. 195.

2. Si vero servus (quamvis cum peccato) initietur, non consentiente Domino, distingue. Si initietur Minoribus, adhuc remanet servus, nec gaudet ullo privilegio, sive canonicis, sive Fori, sive Gabellarum, ut colligitur ex Cap. ex antiquis d. 54. Si vero Majoribus, subdistingue. Nam, si Episcopus illum ordinans conficius est servitutis, & videt sine Domini consensu, ipsum Ordines postulare, quod est, Episcopum esse participem doli, servus ita promotus evadit liber, sed ipse Episcopus obligabitur pretium servi duplicatum, vel duos servos reddere Domino. Et quidem unum ex his pretiis erit de iustitia solvendum in recompensationem servi, unde ante omnem sententiam: Alterum, cum sit in poenam, post sententiam, & sic conciliatur Suar. de cens. d. 51. sect. 3. n. non requirens sententiam cum Bonac. d. 7. de cens. q. 2. p. 4. n. 3. Vers. Tertio Episcopus, illam requirente. Si non Episcopus, sed alii consilii prædicti doli Episcopum induxerunt ad ordines, servo concedendos, ipsi ejusmodi pretium vel servum duplicatum solvere tenebuntur. Si denique nullus fuit doli conficius, is remanebit servus, sed suspensus ab Ordine, si nondum est Sacerdos; Nec tamen poterit uxorem ducere, si Subdiaconatum, vel Diaconatum sic assumpsit; idque propter votum Castitatis iis Sacris Ordinibus adnexum: Valde tamen probabile est, hunc non privari privilegio Canonis, ut tenet Sayrus, de cens. l. 6. c. 14. n. 5.

3. At, si ejusmodi servus ordinatus fuit Sacerdos, liber quidem erit, sed remanebit cum onere solvendi Domino, vel alium servum, vel pretium ex suo peculio, vel ex suis ministeriis Sacerdote non indignis. Filliuc. loco citato, ait, hunc servum, tunc amittere suum peculium, eundemque ab hero suscipi posse pro Mysteriorum celebratione.

Sed quid, si prædictus servus nullo modo peculium, vel artem, vel alium servum habeat, unde solvat?

Respondeo cum Gibal. de irreg. cap. 3. q. 5. n. 3. Manebit liber, sed aliquo spirituali obsequio se gratum præbere studeat Domino.

4. Nondum omnia dissoluta sunt; Inquires enim Primo, si plures in solidum sint domini alicujus servi, satisfactio est, et is promoveatur ad ordines ex solo consensu unius ex his dominis?

Respondeo. Ita putat Gloss. in c. Nullus d. 54. idque ob favorem, & reverentiam Ordinibus debitam, colligitur ex illis verbis Textus (Nullus promoveatur servum, nisi voluntas accesserit ejus; qui aliquid sibi in eo vendicat potestatis) illud enim (aliquid potestatis) significare videtur quamcumque diminutam potestatem ejus, cui illa particulariter competit. Alia autem Glossa, ibidem paulo post dicit, debere accedere consensum omnium, quorum juri detrahatur; id enim significare videtur (ait hæc Glossa) illud (qui aliquid potestatis) illud enim (qui) sumi debet collective, ita ut sensus sit, ut debeat consentire quicum-

que aliquid potestatis in servum habet.

5. Sic ramen conciliandæ sunt hæc duæ Glossæ, si partis dominus offerat servum pro Ordinatione, ab Episcopo admittendus, ut liber, nam ita in domo tacite se obligat satisfacere (ut certe debet) juri domini, & hac ratione Ordinibus faceret, & de domo nihil detrahatur. At, si partialis dominus, & dominus consentit, non poterit servus admitti, quia licet contra iura condominorum; consensus enim dicti partialis domini non ex se offerentis servum (sed ex alioquin negatu) solum parti suæ videtur præjudicare, non partium aliorum. Glossa igitur prior de prioro casu inter alios obsequia posterior de posteriore.

6. Inquires Secundo. Quid de libertis, qui sunt, quos dominus manumittit, hoc est libertos facit, sed servato temporali aliquo obsequio?

Respondeo, hos propter dictam reservationem irregulares, docetur communiter. At, si dominus, qui tunc proprie appellatur Patronus, obsequia omnia recent reservat, C. Nullus de serv. non ord. postea ad Ordines admitti, quia tunc censetur jam absolute liber.

8. Denique nota, horum filios nulla irregularitate affici, ingenui enim, hoc est liberi omnino sunt, filiosque debent Patrono reverentiam, ut notat Bartol. l. C. de liber. & servum liber. Quid dicendum sit de libertis Ecclesie. Vide Vgol. de irreg. c. 57. §. 4.

§. II. De Vxorato Remissio.

1. **E**tiam Vxorato dicitur de facere libertas ad Ordines suscipiendos; Vxoratus enim sua servitus circa uxorem non caret; Verum nos de hac re non dicimus satis, superque in lib. 8. de matr. tr. 1. c. 10.

§. III. Quis dispensat cum servo ex defectu libertatis.

2. **C**erte nonnisi Summus Pontifex, quando illud est, si enim ea non daret, non adesse tunc irregularitatem, atque adeo dispensationem opus non esse, jam modo vidimus. At vero, si Pontifex dispensat cum servo ad Sacerdotium, illo jam promoto sine licentia domini, an debeat Pontifex ex iustitia poenitentiam dominiolvere; an potius intelligatur dispensare, ut (quavis Sacerdos) remaneat apud dominum obsequiis temporalibus, saltem Sacerdote non valde indignis, quæstio est ad nostram praxim, nequaquam pertinens.

CAPVT X.

De Irregularitate ex defectu bonæ famæ.

§. I. Quid, & quotuplex sit Infamia?

1. **I**nfamia est Status lesa dignitatis legibus, & moribus reprobatus, sicuti bona fama est status illa dignitatis legibus, & moribus comprobatus. Cognitio variis, & extraordin. Cognition. Clarior: Infamia est diminutio, seu privatio bonæ existimationis hominum, quæ ex prædicto lesa dignitatis statu. Nomine autem, Dignitatis, hic sumitur pro ea naturæ humanæ dignitate, quæ est in hominibus secundum rectam rationem viventibus. Dico (hic) alibi enim, ut quando in jure dicitur (Infamibus porta non pateant dignitatum) nomen dignitatis sumitur pro quibusdam officiis honorificis, de quibus mox §. 4.

2. Infames ergo cujuscumque generis cetero sunt irregulares: vide C. Infam. 6. quæst. 1. C. Qui in aliq. dist. 5. C. Infamib. de Regul. iuris in 6. sed cum infamia, secundum Doctores omnes, ut Sanch. in consil. lib. 6. c. 3. ad 5. dum Doctores omnes, ut Sanch. in consil. lib. 6. c. 3. ad 5. & 6. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. Lex. in summ. Infamia dicitur de pæn. Eccl. p. 1. c. 33. & 37. Caltr. de cens. d. 6. p. 2. ad 1.

alia sit iuris, seu legalis, quæ est, quando lex disponit, aliquem esse infamem; Alia Facti, quæ est, quando abstrahendo à dispositione legum, ipsum crimen, commissum, seu malum, quod quis patrat, evulgatur, unde sit causa, ut delinquens ead. eo ipso à prædicta hominum bona existimatione, ideo de utraque est, & quidem separatim agendum breviter pro re nostra.

§. II. De Infamia iuris Irregularitatem inducente.

EX triplici capite Lex disponit, aliquem esse infamem, puta ex delicto, sive de proprio, sive alieno, ex pena alicui delinquenti inflicta, & ex officij alicuius utilitate.

Ex delicto proprio.

2. Non de omni delicto, sed de quibusdam leges disposuerunt, ut essent infames ij, qui ea committunt; & id quidem duobus modis disposuit. Primo, ut essent Infames eo ipso, quo aliquis illud delictum committit. Secundo, non eo ipso, sed post sententiam de infamia iam contracta ex eo delicto.

3. Prioris modi sunt de iure civili crimina lenocinij, sponsalia duo, vel duo matrimonium contrahentis, locantis suam operam, qua cum bestia mere ob pretium pugnat, certantis cum alio homine mere quaestus causa (non ergo, si ut ostendat fortitudinem,) huiusmodi etiam est miles, vel dux ab exercitu dimissi, vel militie insignibus spoliati ob aliquod crimen ibi patratum. Item miles prædia aliena conducent negotiationis causa, usurarius ex officio, & ille, qui non adimplet, cum possit iuratum promissionem. Addit Castrop. de Cens. d. 6. p. 20. ex iure sui Regni crimen adimplentis homagium, crimen palinodiam recantis in iudicio, & crimen sodomie. Verum hæc committentes non sunt infames ipso iure civili, sed solum hoc iure speciali.

4. De iure autem Canonico infames ipso facto sunt. Primo, omnes prædicti, qui sunt ex iure civili, nam ius canonicum habet pro infamibus omnes illos, quos leges sæculi (ut loquitur C. Om. 6. q. 1. Adrianus Papa) appellant infames. Excipe tamen infamiam mulieris transiens, ut ad secundas nuptias intra annum luctus, hanc enim correxerunt, & abtulerunt iura canonica, ut supra lib. 8. de matr. tr. 7. c. 2. §. 2. num. 7. nobis dictum est late, nam propterea illam non numeravi inter alias allatas num. præced. Secundo, infames ipso facto sunt, committentes crimen læsæ Maiestatis humane, vel divinæ id est hæresis, eorumque favores. Tertio, insequentes hostiliter Cardinales, Quarto, Mulierum raptores. Quinto, duellum committentes, eorumque patrini.

5. Nota autem, quamvis verum sit, quod diximus ex his delictis statim incurri infamiam de iure, tamen quia hæc est poena, non teneri delinquentem, ex se illam exequi. Quare is, licet eo ipso sit infamis, quia tamen nondum, ut talis, est declaratus, poterit expectare sententiam iudicis declarantis commissionem criminis, & incursionem in dictam infamiam poenam, & interim se gerere, ut liberum ab irregularitate, quando delictum non est notorium, seu publicum, & nec est in proximo periculo, ut publicetur. Ita Sanchez, Laym. Thesaurus locis supra citatis. Vide etiam Gibal. de irreg. cap. 5. q. 4. Dixi (quando delictum non est notorium) nam, si delictum sit publicum ex alio capite delinquens erit infamis, atque adeo irregularis, nempe ex infamia facti, de qua mox.

6. Posterioris modi infames de iure, hoc est, qui non eo ipso, quod committant crimen, sunt infames, sed post sententiam iudicis condemnatoriam, & ut notat Castrop. de Cens. d. 6. p. 20. num. 4. quæ sit sententia definitiva iam transacta in rem infames, infames, inquam, de iure sunt illi qui committunt ea delicta, de quibus quilibet de populo potest accusare delinquentem, nam propterea appellari solent crimina publica. Sunt autem in iure civili ij, qui committunt crimen Homicidij, Adul-

Part III.

terij, Proditionis, Falsi, Rapinae, Læsæ Maiestatis (hoc ultimum est supra in iure Canonico crimen inducens in infamiam ipso facto, at nunc est inducens in iure civili infamiam post sententiam) Præterea crimen facti iniuriarum, doli mali, & crimen iniquæ pactiois, nec de his criminibus quis accusatur.

7. In iure autem Canonico sunt ij, qui committunt crimen doli in contractu Societatis, in Tutela, Mandato, Deposito, & crimen, quod quis forte committat, in accusando aliquem de delicto. Hi igitur non sunt infames statim, ac committunt hæc crimina, ut erant dicti in prior modo, sed post sententiam definitivam, & iura, & Doctores circa prædicta legi, & haberi poterunt apud citatos.

8. Denique hæc opportunum est admonere, opinionem dicentium omnia peccata depositione digna parere irregularitatem in delinquentem, non esse veram, eamque bene reici à Castrop. l. c. n. 13.

9. Præterea adverte, nec eo ipso esse irregularem Apostatam teste Farinac. 183. an 61. Mascard. de Probat. q. 112. ab ordine Sacro, vel à Religione, relicto etiam habitu, sed solum ratione infamiae post sententiam criminis condemnatoriam, vel post notorietatem delicti, quæ ponat infamiam facti, de qua mox. Idem de clerico ebrioso ex iure novo, Cam. in c. Acrap. de vita & honest. Cleric. idem de peccatis, quæ arbitrio Episcoporum puniendi veniunt, &c.

Ex delicto alieno.

10. Ex delicto alieno, solum duo genera personarum invenio esse infames, unde, & irregulares, hoc est. Primo, filios nepotesque eorum, qui manus violentas in Cardinalem intulerunt. Secundo, filios eorum, qui committunt crimen læsæ Maiestatis. Lege Doctores mox citandos.

11. Quare filij, & descendentes Hæreticorum infames non sunt. Ita Sanchez in Dicit. 2. c. 28. n. 5. aliquo ap. Castrop. dicit. An vero sint irregulares, dicam cum de irregularitate ex hæresi.

12. Rursus filij legitimi Mercatorum, Damnatorum ad tireres, eorumque, qui publice ob poenam iuste vapulaverunt, nec infames sunt, nec irregulares. Ita Diana p. 10. tr. 11. res. 26. cum aliis.

13. Denique illegitimi, hoc est non ex legitimo matrimonio nati, irregulares quidem sunt, ut infra suo loco c. 17. §. 1. dicemus, sed nullo modo infames, Covar. Molin, & Castrop. eas adducens l. c.

Ex poena alicui inflicta.

14. Ex hoc capite, vel poteris esse infamis ex vi ipsius iuris, quando scilicet in iure, vel in sententia contra te à iudice lata, decernitur, te condemnatum tali poena, esse infamem. Vel poteris esse infamis, quasi ipso facto, quando scilicet ad poenam notorio dedecore affectam condemnaris.

15. Quæ autem sint poenæ prioris modi, ipse tenor legis, seu sententiæ debet ostendere. At, quænam sint poenæ posterioris, ostendit Regula sequens, ex iur. Conf. in l. i. fust. ff. de his, q. not. infam. Quæcumque poena quæ à lege, vel iudice imponitur, si propter delictum infame imponatur, inducit infamiam per sui exceptionem, atque adeo irregularitatem, secus non item.

16. Hæc regula planior fiet ab exemplis, quæ iam subdo. Primò, qui puniuntur per fustigatorem non quomodocumque, sed ex sententia lata contra ipsum, vel ex Superioris mandato sic decernente propter notorium, & infame crimen est infamis, adeoque, ut dicemus, irregularis. Ictus ergo fustium non irrogat infamiam iuris, nisi ex infami causa infligatur.

17. Secundo, Dammati ad tireres cum executione, non omnes, sed solum, ut tenet Thesauratus, de poen. Eccles. p. 1. c. 33. ij, qui ex causa famosa, hoc est ex crimine publico commisso cum dolo, ad illas dammati fuerunt, sunt infames, irregularesque, atque hi, etiam si non

K k 3 præcesserit

præcesserit fustigatio idque etiam (ut idem habet) trans-
acto tempore pœnæ. Quamvis enim Diana p. 4. tract. 2.
res. 83. indistincte putaverit, esse probabile omnes dam-
natos ad Triter es esse irregulares, & esse item proba-
bile non esse Diana p. 10. tr. 11. res. 26. tamen sequitur ci-
tatum Thesaurum, quem etiam sequitur Donatus, de
Reg. lib. 1. cap. 182. num. 2. & Campanili, Rubr. 12. cap. 18.
refragantibus Ruitio, p. 1. Decis. 19. & Prates, d. 6. ca. 5.
§. 3. num. 5. fol. 622.

18. Tercio publice pœnitentius ob suspensionem
criminis famosi, qualis suspectus de hæresi, sed non hæ-
reticus, non putatur à Thesaurio loco citato, infamis in-
famia iuris, sed, si causa suspensionis sit publica, erit infa-
mis, infamia facti, de qua mox dicemus.

19. Dixi (publice pœnitentius) id est per illam pœ-
nitentiam, quæ publice sit inflicta à iudice sine certo, &
determinato ritu, nam illa pœnitentia, quæ apud Cano-
nes appellatur sollemnis, quæque fiebat cum certa for-
ma, certisque ceremoniis iam hodie non est amplius in
usu.

20. Quarto, ij Milites Religiosi, qui de famoso cri-
mine notati condemnantur ad deponendam Crucem,
seu Habitum sive Religionis, ij, qui ob toleratum uxoris
adulterium, avium pennis amicti, publico spectaculo ex-
ponuntur, ij, quibus ob furtum in fronte, vel humero, sti-
gmata inunguntur: Ij, inquam, infames teste Prate, in ma-
nus, citato, disp. 6. §. 5. num. 56. fol. 623. sunt infamia iuris,
atque adeo Irregulares à solo Pontifice Summo dispen-
dandi.

21. Contra, ex eod. m. Doctore, levis verberatio (hac
enim solent castigari pueri sine infamia) & Collaris in-
ductio non inducunt infamiam iuris, quia ex levi causa
infiguntur. Ita sanè, sed, si ex gravi causa & hæc sit co-
gnita, non dubito, quin eiusmodi pœnæ inducant saltem
infamiam facti, de qua mox.

Quinto, an Excommunicatus eo ipso sit infamis.
Respondeo tribus dictis. Dico primo, excommunicatus
vitandam esse infamiam de facto, iam enim publice,
donec petat absolutioem, notorius peccator est, atque
adeo irregularis, ut 100 §. 3. agentes de infamia facti,
dicemus.

Dico Secundo, excommunicatum non vitandum, si
sit occultus. Ita Leand. de excom. d. 16. q. 10. non esse in-
famiam de facto, quia sic notoria non est eius inobedien-
tia: At si sit publicus, quamvis non sit iuridice nomina-
tum denunciatus, nec publicus percussor Clerici, iam erit
notorie peccator, inobediens, & Canonicè infamis de fa-
cto atque adeo modo iam dicto, irregularis.

Dico Tertio, cum Fillucio, excommunicatum, ut sic,
non asserere ex se infamiam, unde, nec ex se, irregularita-
tem. Probatur, quia non asserit infamiam iuris ex se, nec ex
se infamiam facti, ergo nullam. Not. iuris: nam in iure
non habetur, eam universaliter esse causam infamiae, sed
solum, quando constituitur ex quibusdam criminibus,
quibus peculiariter connectunt iura infamiam, qualis est
hæresis, de cuius irregularitate dicitur infra suo loco, &
qualis, est etiam percussio Cardinalibus inflicta. Fel-
cis, d. Pan. in 6. Non facti quia, sic etiam Excommuni-
catione occulta pareret infamiam facti, quod tamen esse
non potest: infamia enim facti non emergit nisi ex deli-
cto notorio, ut mox dicto §. 3. notabimus.

Ex Officio Histriones.

22. Iura etiam volunt, ut, qui officiis quibusdam vi-
libus vacant, infames ipso iure sint atque adeo irregula-
res. Eiusmodi autem sunt ex omnium sententia. Primo,
Histriones pretio conducti obscena representantes. Di-
centur autem ex officio, si bis, vel ter in scenam prode-
ant, de quibus lege Menoch. de Arbitr. casu 99. n. 24. &
Riccioli, de statu Repr. l. 5. c. 12. Imò etiam si semel pro-
deant in scenam, quando ex officio iam assumpto id fa-
ciunt, Lege Diaz in prax. Crim. Can. cap. 63. Vival. d. p. 3.
Candel. de Irreg. ex inf. n. 19.

Artes alie viles.

23. Lictores, Sarcinantes, Carnifices sunt infames
Lezana, V. Infamia n. 3. Prates l. c. d. 2. c. 4. n. 4. Sed ego
Ca. de Cens. d. 6. p. 20. n. 6. tum de his, cum de Macellariis
& similibus, dicens nullo iure contrarium probari de-
bet lictores, similesque iustitiæ Ministros (in ore con-
demnatorum secuta) esse irregulares ex defectu leuitatis
alia est consideratio, de quibus infra suo loco.

24. Sunt ergo hi homines infimæ notæ, & propterea
indignitatem, nulla ratione promovendi, sed censendi
sunt, non sunt. Quis enim audebit Sacris initiare, tum
qui acta exerceat macellariam, Cauponariam, Cloce-
riam, Circulatoriam, Fumambulariam, vel similes; Ad-
dunt his aliqui, ut P. Prates l. c. d. 4. prælud. n. 4. fol. 221.
& merito Anatomistas, qui manu propria incidunt Ca-
davera, Pollintones, seu Vespillones (Beccones)
&c.

25. Hic denique ne ignores, Parentes qui eiusmodi
exercitationibus se immiscet, eandem villitatem in so-
lios nequaquam transfundere, ipsi filij ab eiusmodi ab-
stineant, cum nullus Textus, ut notat Selinus, in c. 4.
Deputati de Iud. ex Glossa in c. Quoniam verus 24. q. 1. Legi
etiam Maiolum de Irreg. l. 3. c. 1. n. 7. contra dictum filium
habeatur. Imò præclara de hac re sententia Andree
Pape refertur. In Episcoporum (inquit Antea Pontifici
in Ep. ad Ep. Batic.) Negotio presapiam non agitur. An-
tholius Ordo hoc probat ac tot Pontificum, & Episcoporum
numerus, qui viliibus parentibus nati, de gressu Sacerdotii
summi sunt.

Ducens Vxorem vilem.

26. Qui ancillam duxit in uxorem inter infames no-
vult Suar. de Cens. d. 48. §. 3. Sin. Sanc. l. 7. mar. d. 19. n. 14.
ex c. si quis Viduam. 2. d. 34. Contra Henrici. l. 14. de Irreg.
c. 5. n. 4. numeratur, ut item, qui Meretricem duxit, ut
pudiatam, aut Saltatricem, vel Scenicam, quamvis Vag-
nem & universaliter, qui feminas duxit viles. Vilius
etiam præscindendo ab infamia, persona illa reputatur,
qui cum vili, tam æctum commercium contraxit.

§. III. De infamia facti.

1. **V**T quis iure Canonico habeatur infamis in-
famia facti, atque adeo irregularis, sufficit quod-
cumque peccatum mortale, in quo quis notorie pec-
caverit. Vide C. Testim. de Test. c. const. 3. q. 5. d. 1. c. 1.
Tria ergo requiruntur, & sufficient ad infamiam facti
patiendam peccatum quodcumque mortale, perseveran-
tia in illo, & Publicitas, seu publica, & quidem extra ma-
ritia.

2. Quoad Primum, nota id dici in materia, de qua lo-
quimur Irregularitatis, nam in ordine ad alios effectus,
ut recte notat Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. tantus rigor et re-
peratus multo magis in iure Civili, in quo, restante Mo-
lin. tr. 4. de Iust. d. 7. n. 6. multa peccata non reddunt ex-
tremum paratores viles, & infames. Lege eundem Molin.
ibidem, qui recte percipit aliqua capita per quæ homo
iudicetur infamis infamia facti.

3. Quoad Secundum, id est, quoad perseverantiam,
nota, id intelligi, quoad peccata ex se infamiam aliam
non patientia, nam, si quis v. g. publice seieatur fecerit co-
gnovisse mulierem, non esset quidem infamis, quia iam
non perseverat in peccato, quod solum semel facit. At si
quis seieatur publice cognovisse suam matrem, vel illam
occidisse, nonne esset infamis infamia facti, donec per
veram penitentiam, de qua mox §. 5. n. 3. eiusmodi infa-
miam excuteret.

4. Quoad Tertium, hoc est, quoad publicitatem, duo
sunt notandi. Primo, crimine debere cognosci à multis,
atque adeo non sufficere, si certo seiat à paucis, nam
hoc pacto res diceretur occulta.

Secundo, notitiam debere esse certam, si non metaphysicè, sane moraliter, secus te injustè gereres, si quæpiam, ut infamem repellas, solum ex levi suspicione inter homines leves exorta.

6. Si tamen opinio de tuo peccato sit vulgata apud viros probos, & prudentes, quamvis non adit certitudo, multo magis, si orta sit hæc opinio non ex vanis, sed ex probabilibus conjecturis, eris ab Ordinibus, ac Beneficiis Ecclesiasticis, repellendus, interim, dum non purgas, juxta C. Quoties, & C. Inter: de Purgat. canonica. Neque enim deest in Clericum coaptari eum cujus opinio gravata est. Ita Castropal. de cons. d. 6 p. 20. n. 7. quod late etiam habes apud Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 28.

7. Ex hac doctrina resolvitur nudius tertius, Clericum accusatum apud Episcopum sui Domicilii de commercio cum femina, & ab eodem citatum ad comparandum nequaquam ordinari potuisse ab Episcopo sui Beneficii, ut Clericus intendebat. Ratio resolutionis fuit prædicta doctrina, quia non præsumitur Episcopus ille voluisse Clericum citare ad comparandum, nisi motus ex probabilibus rationibus, seu conjecturis. Fatebar interim meram accusationem non satis esse ad hominem reddendum infamem, quia accusatio non raro fit ab inimicis, & non raro item sine sufficientibus probationibus, sed in casu nostro aderat citatio Episcopi, qui, ut dicebam, non præsumitur Clericum voluisse citare sine aliqua tandem probabilitate delicti. Addidi, saltem ante ordinationem oportere, eum se pargare, juxta prædicta, ab opinione, quæ jam erat inter prudentes de commisso crimine. Nam propterea communiter teste Nald. V. Accusare, num. 4. Barb. de pot. Et. al. 43. Garcia de Benef. p. 7. c. 7. n. 6. Favet, Gibal. de Irreg. c. 5. d. 4. n. 27. docetur, accusatum, pendente accusatione, admitti ad Ordines non posse.

§. IV. Effectus Infamie.

1. Infamia, sive Juris, sive facti in Jure Canonico (nam de Civili nos non agimus) hos duos effectus progitur. Primò, ut infamis ordinari nequeat: id, quod sæpe diximus in Superioribus. Secundo, ut illi Dignitates non conferantur juxta Regulam illam Juris Infamis portæ non pateant dignitatum. Nomine autem dignitatis hic non intelliguntur solum Personatus, sed quæcunque Ecclesiastica Beneficia, & Officia publica, puta Judicis, Assessoris, Advocati, &c.

2. An verò, si quis confertur Ordinibus Infami, valet collatio, ita valeat collatio Beneficii, vel Dignitatis, licet in utraque collatione certo peccetur, bipartita est Doctorum Opinio. Molin. tr. 4. d. 11. n. 3. alique apud Castropal. mox citandum cum communi ait, esse invalidam Castropal. de cons. d. 6. q. 20. n. 11. cum Garz. putat, in foro externo invalidam quidem esse, sed esse probabile, in foro conscientie esse validam, ac propterea ejusmodi provisum posse dignitate, seu officio frui, donec à Iudice collatio rescindatur. Ratio hujus probabilitatis est, quia nullus affertur potest Textus collationem hanc invalidans, nam quando dicitur (Infamis portæ non pateant dignitatum) satis commodus sensus esse potest, quod non pateant licite, annullatio autem actus, cum sit odiosa sine claro Textu inducenda non est. Adde, tanquam Regulam peculiarem haberi in Tractatu de Irregularitate, quando Textus potest explicari, ut significet aliquid aliud, non esse intelligendum, ut inducitur Irregularitatis.

3. Hæc de Infamia contracta ante susceptas Dignitates. Sed quid, si superveniat.

Respondet, si superveniat Infamia facti, certum est, eam non privare ipso jure possidentem suas Dignitates, vel Officia, ut est communior opinio, quia in nullo Textu habetur ejusmodi privatio. Si vero superveniat infamia Juris, licet statim illorum privationem indicet; tamen hujusmodi infamis abdicare à se illa officia nequaquam

obligatur, modo quo docet cum multis Castropal. & nos diximus §. 2. n. 5.

§. V. Quis dispense in Irregularitate contracta ex Infamia.

1. Si à te incurta fuit infamia Juris, ex eo nimirum, quod subivisti sententiam, quæ condemnavit ad infamiam, vel, quæ declaravit, te commississe delictum trahens infamiam juxta paulo ante dicta, opus est tibi, etiam emendato, dispensatione Summi Pontificis ad Ordines suscipiendos, vel Ordines susceptos exercendos. Nam, si non præcessit ejusmodi sententia, te posse gerere, ut non Irregularem, atque adeo te non indigere dispensatione, si res sit occulta, diximus §. 2. num. 5.

2. Si tamen crimina infamiam hanc trahentia sunt adulterio minora, Irregularitatem ex ea contractam posse post peractam poenitentiam dispensari ab Episcopo docet Castropalaus l. cum Sane. Henric. Avil. Mol. & aliis, addens, quando infamia inducta est à jure Civili, eam posse aboleri à Principe seculari qua abolita, cessabit Irregularitas, quæ in ea infamia innitebatur.

3. Si autem infamia facti laboras, illam tu ipse restesuar. Henr. Mol. cum Castropal. cit. tolles per emendationem delicti, utique notoriam, & quæ saltem per triennium duraverit. Gibal. de Irreg. cap. 6. qu. 1. num. 5. non præscribit tempus, sed solum petit emendationem cognitam.

4. Hinc ergo, qui non fuit condemnatus per sententiam inponentem, vel declarantem infamiam (tunc enim non sufficit emendatio, sed requiritur dispensatio, ut dictum est) licet notorius fuerit Sodomitæ, Concupinariis Virarius, &c. Si, modo dicto, emendatus est, poterit promoveri. Lege Gibalinum loc. cit.

An hæc Irregularitas ex infamia tollatur per Baptismum, quando hic suscipitur post ipsam contractam, dicemus infra c. 22. §. 1. n. 2. infra videatur Sanch. d. 48. de Cons. scilicet. 2. n. 11.

CAPVT XI.

De Irregularitate ex Novitate Fidei.

§. I. Quisnam eam contrahat?

1. Novi in Fide, quos Græca voce Neophytos appellamus, in C. Sicur. d. 48. sunt, qui cum Iudeorum, Saracenorum, vel Ethnicorum Religionem proficiunt, de novo ad veram Christi Domini Fidem accesserunt.

2. ergo Hos irregulares voluit Ecclesia. C. 1. dist. 48. C. 1. & 2. dist. 55. C. Si aliquando, &c. Si offic. dist. 59. Primò, ne (ut ait S. Paulus 2. ad Tim. 3.) in superbiam elati in judicium incidant Diabolici, eo scilicet, quod sibi plaudere plus iusto possint, putantes Ecclesiam ipsorum Ministerio indigere. Secundo, quia, ad docendum alios, est ineptus ille, qui bene edoctus non est. Tertio, quia bonis moribus debet prius assuescere, qui ad tantam Ordinum puritatem, dignitatemque est promovendus.

2. Porro ex descriptione allata Neophyti tria sunt colligenda. Primò, qui Sacro Baptismi fonte est apte usum rationis ablatus, quamvis filius sit patris infidelis, non est reputandus Neophytus, atque adeo, nec Irregularis. Ita Covarr. in Clem. si furiosus p. 1. §. 2. 7. & 8. Avil. de Censur. p. 7. d. 4. Sayr. de Censur. lib. 6. cap. 11. n. 11. Bonacin. de Censur. d. 7. quæst. 2. pun. 1. num. 5. Ricciullus de Neoph. cap. 1. num. 3. Lez. alios citans consulto 16. numer. 31. quia eam aliam religionem professus non

K x 4 est